

Johann Albert Fabricius


**Jo. Alberti Fabricii SS. Theol. D. & Profess. Publ. Epistola de beato obitu
Venerandi Senis M. Constantini Ambrosii Lehmanni, per LVIII. annos Ecclesiastæ
& Archidiaconi Doblinensis meritissimi, et Diœceseos Oschazinæ Senioris, ad
Noblissimum Virum Petrum Ambrosium Lehmannum, Potentiss. Regis Polon. &
Electoris Saxonizæ a Secretis Legationum, Optimi Parentis desiderio conturbatum
et afflictum**

Hamburgi: imprimebat Jo. Nicolaus Gennagel, 1718

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677401168>


Druck Freier  Zugang






m
391-4

Fm 1239¹⁻⁴.





JO. ALBERTI FABRICII
SS. Theol. D. & Profess. Publ.

EPISTOLA

de beato obitu

Venerandi Senis

M. CONSTANTINI

AMBROSII

LEHMANNI,

per LVIII. annos Ecclesiastæ & Archidiaconi

Doblinensis meritissimi,

Diceceseos Oschazinæ Senioris,

ad

Nobilissimum Virum

PETRUM AMBROSIUM

LEHMANNUM,

Potentiss. Regis Polon. & Electoris Saxonix

à Secretis Legationum,

Optimi Parentis desiderio conturbatum & afflictum.

HAMBURGI imprimebat Jo. Nicolaus Gennagel, 1718.

x. m-1239².

Jo. ALBERTI FABRICII
Prof. Theol. D. & Prof. Publ.

EPISTOLA

Venerandi Senis

M. CONSTANTINI

AMBROSII

LEHMANNI

per LVIII. annos Ecclesiae & Archidiaconi

Diplomaticis meritis

& Dilectos Othavianus Senioris

Nobilissimum Virum

PETRUM AMBROSIUM

LEHMANNUM

Patris Regis Poloniae & Electoris Saxoniae

Optimi Praesidis a secretis Legationum

Optimi Praesidis a secretis Legationum & officium

HAMBURGI imprimetur Jo. Nicolai Genssels 1718.

1718

Justissimus est dolor Tuus, VIR NO-
BILISSIME, nec immeritus questus,
quo ereptum Parentem prosequeris, ac post-
piam Matrem, ante biennium fato subductam
Tibi, novo & iterato jam luctu Patrem etiam
deploras defunctum. Quamquam enim Ille metam cur-
sus humani videri potest quam longissimam attigisse, atque
adeo maturitate tempestitiva quasi victus ac caducus ve-
nisse in Libitinæ rationes, tamen Optimi Parentis mors
nunquam filii pietati tempestitiva accidere potest, qui amor
Tuo videbatur nunquam mori debuisse. Quamvis etiam
ea fuit beati Viri in sacro munere suo, quod per annos
propemodum sexaginta gessit, fides ac dexteritas, ca-
meritorum insignium magnitudo, ut odorem nominis,
ac memoriae suæ fragrantiam suavissimam post se reliquerit
apud amantissimum gregem suum, apud Venerandos Col-
legas & per totam Ecclesiam: tamen maluisse Tu, si
DEO ita fuisset visum, diutius etiam frui Ejus amore &
consilio, nec ab Illo destitui, qui & Te impensissime
amaret, & à quo Te amari unice gauderes. Quamvis
præterea videtur Ejus discessus jam ferri posse moderatius,
qui Te aucto honoribus, qui Rev. fratre Tuo, Successore
relicto, qui cætera familia sua bene constituta, decem
liberorum pater, trium ac viginti nepotum neptiumque
avus, exhaustus viribus vitam DEO reddidit: tamen
tam chari capitis, tam bene meriti jactura tristis esse
nunquam non potest. Quamvis denique Viri ipsius vicem

per placidam *euδavov* in cœlestia Domini sui gaudia evocari adeo dolere non sit fas, ut gratulandum illi potius sit modis omnibus, quod pium ac fidelem servum suum, æstu diei & laboribus fessum, CHRISTUS brabeutes sub extremam vitæ vesperam quiete & sempiternis præmiis donavit: nihilominus quod à Patre dilectissimo divelleris, quod carendum Illo est Tibi, cujus charitate gaudebas, & cujus auctoritate libenter ducebaris, grave utiqve est moestumqve.

Non est animus congerere argumenta minuendo luctui huic Tuo, quem justissimum esse jam confessus sum: vel detergendis lacrymis, quarum ipse æquitatem libenter agnosco ac præ me fero. Nec magnæ rei solent esse, quæ plerumqve sedandæ ægritudini adhibentur consolationes, cum magnam partem antequam detumuerit tristitiæ læstus, & intempestivæ veniant, ideoqve irritæ sint, aut illo cessante jam; ac compositis fluctibus animi parum necessariae, magnam partem vero ineptæ prorsus ad solandum, non minus quam præficarum luctum fenocinantium lacrymæ & ejulationes ad excitandos mortuos. Præcipue vero frigidum sit, res decantatas millies, Tibique perspectissimas, & disertissimo stylo explicatas jam a multis, ambitiose commemorare apud Te, qui per Te moestitiam Tuam ratione potius quam tempore lenire satagis, atqve cum desiderium Tuum mitigare non possis, tamen putas indignum, pro desiderii Tui studio rerum ordinem velle converti. Igitur quod natura

ræ

ræ debes & amori, imbecillitatiqve humanæ, per ali-
quod tempus indulges lacrymis, laxas frena dolori, &
tanquam dira passus (*) funderis luctu pro defuncti meri-
tis: sed quod pietas in DEUM & ratio à Te postulat,
ponis mœrori iterum modum, & acquiescis in Optimi
Numinis Voluntate, tunc quoque amantis nos maxime
& indulgentissime, cum vulnera infligere & ægre facere
nobis cum maxime videtur. Meministi mortem non pro
pœna piis, sed pro remedio datam laborum malorumqve,
quæ fessos carnis & sæculi absolvit miseriis, & ex æru-
minosa vita per caliginosæ vallis iter deducit in serenam bea-
titudinem celestium gaudiorum, CHRISTI morte partam,
Nosti, qualis nunc est vita hominum, futurum oneri
mortalibus gravissimo, si mori nequeant, brevemqve
vitæ ulum neque illis videri multum eripere qui præces-
serint, nec hos qui remanserint differre usque adeo diu,
suo quoslibet ordine, brevi post insecuturos. Nosti denique
longe majore Te gratiarum debito obstrictum Divinæ be-
nignitati, quod tam bonum Parentem concesserit Tibi,
ac conservaverit per tam longum temporis spatium præ
multis aliis millibus millenis, quam ut sit Tibi-Ejus bo-
nitas accusanda, vel de Ejus voluntate, quod jam Eum,
quem dedit, repetit & ad se revocat, ingrato ac tristi
murmure conqverendum.

Quod autem ad levandum desiderium absentium
fieri passim solet, ut imagine picta, sculpta vel calata

A 3 aut
(*) Sirach, XXXVIII, 16.

aut descripta ære Illius, quem amamus, reddente effigiem
utamur, eamque intueamur libenter, atque illa spectata
amati virtutem nobis revocemus in memoriam, & amoris
illius recordatione nosmet oblectemus: id feliciore etiam
successu potest facere calamus, qui non formam quidem
corporis exprimit coloribus, aut lineamenta vultus &
ductus oris reddit, sed vitam & fata exponit, virtutem
celebrat, merita persequitur. Igitur & ego extenuando
moerori Tuo, & molliendo desiderio nihil aliud quam Vi-
tam Venerandi Parentis opponam, descriptam simplici
stylo, fideli tamen & ita tractato, ut agnoscere formam
& faciem possis, in eamque intuens, quando partibus
Eum boni Christiani, ac præciare meriti Sacerdotis per-
functum esse, & felicitis mariti, optimiq; patris familias nu-
meros implevisse noveris, meminerisque ad summam se-
nectam rebus prosperis pervenisse, & saturam vitæ ani-
mam Deo reddidisse, defunctum non lugeas, sed etiam
atque etiam gaudeas tamdiu Illo potuisse Te frui, & me-
moria amoris Ejus pascas animum & recrees, certusque
à Deo ac Salvatore suo evocatum in coelos, pie lateris.

Susceptus est in lucem, *Doblinii*, flumine illo
Misniæ, ut Melanchthoni non sine causa audit opidum,
quod à duobus Osterlandiæ ocellis, Dresda atque Lipsia,
æque longe distans jucundo ad Moldam situ jam à Frideri-
ci Barbarossæ temporibus claret quemadmodum celebri
olim ad S. Jacobum religioso itinere, ita mercatu hodie
frumenti ac jumentorum, & frequentibus pileorum pan-
niq; manifaciis. Hujus ego opidi nunquam pos-
sum

sum meminisse, ut non sinit memoria mee se off
qui in eodem lucem primum adspexit, desideratissim
noſter D. Abrahamus Hinckelmannus, *o paraptus*, Pa
stor ad S. Catharinæ ædem doctrina ac vita insignissimus.
Ibidem procreatus Venerandus Parens Tuus Anno supra
millesimum sexcentesimo duedequadragesimo, die quar
to Iduum Iulii ante quartam matutinam, *Constantini Am
broſii* nomen in sacro baptismo tulit, Constantini ab
Avo materno, à Patre, Avoque paterno Ambrosii.

Pater, Rev. Vir, *M. Ambrosius Lehmannus*,
Ambrosii Prætoris Doblinensis filius, per annos viginti
quatuor sacrum Diaconi munus magna cum laude in pa
tria gessit, ita ut Ille, qui post Filium hodie successit Nepos,
Frater Tuus, jam non ita multum absit a sæculi integri spa
tio, quo Doblinensia templa Lehmannorum voce perso
nuerunt. Mater, *Christina Lasmannia*, ex honestissimo
Parente *Constantino Lasmanno*, Notario publico Cæsa
reo & ærarii Ecclesiastici præfecto genita. Magistris &
moderatoribus pueritiæ haud poenitendis uti Ipsi contigit,
præcipue cum traditus in disciplinam est Clarissimo Lycei
patris Rectori *Christophoro Wallrichio* qui ad initiales nomi
nis Ejus litteras alludens hoc Ei Symbolum pro quotidiana
prece commendavit: *CHRISTE Adesto Laboribus Du
ris Meis*, quo ipso & labores non mediocres Ipsi per
omne vitæ curriculum exantlandos, & Christum strenu
um ac potentem futurum opitulatorem prædixit tan
quam Vates.

Tre-

Tredecernem excepit Athenæum celebratissimum
Portense, ex quo tam multi præclari in omni genere lit-
terarum Viri & olim prodire, atque etiamnum quoti-
die prodeunt magna Ecclesie, Reip. & Studiorum utili-
tate. In illo confertum sexennium exegit, non infician-
do sub discessum testimonio industriae mactatus, quæ
per illud tempus Doctoribus præclarissimis probaverat,
M. *Johanni Kühnio*, Rectori, M. *Johanni Gutbierio*,
Pastori, *Johanni Bartholomæo*, Correctori, & *Johanni*
Georgio Laurentio, qui Collegæ tertii partibus tunc
fungebatur.

Academicorum Studiorum sedem unicam sibi delegit
Lipsiam, annos jam natus undeviginti, atque in illa optatissi-
ma Musarum sede & Duces in studiis fidelissimos peritissi-
mosque, & amicos probos, dignosque fautores, & Patronos
amantissimos reperit. In Patronis habuit Theologum doctri-
na ac meritis inclytum, *D. Abrahamum Tellerum*, in Pastora-
tu ad S. Thomæ ædem decessorem magni Geieri, *Ἰὼν μαχαρίτην*,
cujus mensa & contubernio usus est ad ipsius obitum us-
que A. 1658. Nec non illustrem Virum, *D. Jo. Chri-*
stophorum Marci, Serenissimi Ducis Saxonici Martis-
burgenfis à Consiliis intimis & Vice Cancellarium, atque
Scabinorum Lipsiensium Seniore, cui a Rev. & Clä-
rissimo Viro, *M. Jo. Sigismundo Schwenckio*, Logicæ &
Metaphysices Professore Publico, Pastore postea ac Su-
perintendente Luneburgenfi, de meliore nota commen-
datus, fidem & industriam in instituendis Ejus liberis proba-

probavit per omne illud tempus quo Lipsiæ deinceps com-
moratus, litterisq; operatus est. Doctoribus ac ducibus
studiorum, præter laudatum inprimis *Schwenckium*, *Reis-*
landiumque, & cujus privatæ institutioni ac consuetudini
plurimum semper debere se fuit libenter confessus, *M. An-*
dream Glauchium, postea Ecclesiæ Lipsiensis ad S. Thomæ
ædem Archidiaconum egregium, usus est singulari cum fru-
ctu Theologis per omnem Ecclesiam celebratissimis, *D. Hie-*
ronymo Kromayero, *D. Martino Geiero*, *D. Friderico*
Rappolto, & *D. Valentino Alberti*. Ex quorum ore dum
pendet, atq; lectiones eorum sive Philosophicas sive Theo-
logicas frequentat, hauritq; cupide, ecce nunciatur domo
Parentem optimum lecto affixum cum gravi morbo con-
flictari, qui etiam illi emortalis fuit. Igitur ad Patrem
festinato itinere se contulit, & spirantem adhuc sed vehe-
menter attrita valetudine languentem mense Martio cum
invenisset, paullo post amisit, extinctum VIII. Calendar.
Maji, Anni M DC LX.

Matrem viduam relictam cum novem liberis, nihil
magis in gravissimo luctu solari potuit, quàm Filius hic ab
Amplissimo Senatu Doblinensi communibus suffragiis Beati
Parentis loco in *Diaconum* cooptatus, & mox post examen
peractum, supremo Senatu Ecclesiastico benevole suffra-
gante, in sacro munere confirmatus. Auspiciis sancti mi-
nisterii sui in patria cepit Dominica VII. post SS. Trinitatis
festum, non sine sacro quodam horrore & submissa vene-
ratione Divinæ Providentiæ, sed & magno ac pleno fiducia
in DEUM animo, cujus ope eandem spartam sibi commis-
fam,

B

fam,

sam, & in quo A. M DC LXXV. Rev. ac desideratissimo
 M. *Iohanni Uhlenio*, per beatum obitum Auditoribus suis,
 quibus per quadraginta annos doctrina & vita praeluxerat,
 subtracto succenturiatus fuit, *Archidiaconatum* per annos
 duodefexaginta ita gessit & ornavit, ut nec in fide nec in
 dexteritate atque industria sua quicquam passus fuerit desi-
 derari, sed doctrina & exemplo, monendo, hortando,
 precando, folando, invisendo ad aegrotos & afflictos, &
 egenos curando boni Pastoris impleverit officium, & boni
 ac fidelis servi in domo DEI, ac Doctoris Evangelici parti-
 bus bene ac laudabiliter sit perfunctus, DEO sacris ipsius la-
 boribus benedicente, cuius opem assidue imploravit verbis
 Davidicis, quae annum ipsi commissi posterioris sancti mu-
 neris memorabili chronosticho in memoriam quotidie re-
 vocabant, *SPIRITU VO PRINCIPALI SVSSENTA ME DEVS.*
 Dein gVter Gelft beVVahre Meln Herz In reChten rel-
 nen SLAVben.

A καίνοφωνίας Ecclesiam lacerantibus nihilque profu-
 turis alienissimus, firmum ac constans hoc semper servavit
 propositum, ut a via regia sanæ doctrinæ nec in hanc nec in
 illam partem vel latum unguem deflecteret, non minus ju-
 ratus hostis rixarum ac contentionum, quas ingenti scan-
 dalo gregis Christiani inter doctores vel ambitio accendit,
 vel alit fovetque improbum habendi studium. Quamobrem
 ut de beati Viri probis moribus, integritate ac zelo com-
 munitatis ac contentiens fama, de obsequio vero Illius ac fide
 restabuntur ii, quorum auctoritati observantiam ac venera-
 tionem debuit: ita de Ipsius modestia ac pacis studio sin-
 gulari

gulari constabit omnibus qui cum propius noverant, Rev. Collegis præcipue, quos licet ob longiorem vitæ metam habuit complures, quinque enim Pastores & tres Diaconos superavit vivendo, tamen semper habuit amicissimos, & nunquam dedit illis de se conquerendi occasionem: quin Ipse potius si quod sentiret in aliorum animis enasci amarus germen odii aut invidiæ, illud in herba suppressere & evellere radicitus, quantum valuit, omni studio contendit, ut non minus in Ipsum quam in B. Bernhardum quadret, quod pius ille Claræ Vallis in Gallia Abbas olim professus fuit de se:

Nullum turbavi, discordes pacificavi, & obediens &

Laesus sustinui, nec mihi complacui.

Tentationes & calamitates, quæ tam longo cursu annorum nec pauca Eum exercuere, nec leves, adeo non poterunt animum Ejus frangere, aut de statu dejicere, ut divina ope fretus & sustinuerit illas fortiter, superaveritque, & majus inde robur spiritus confirmatioresque vires fiduciæ in DEUM collocandæ cepit.

In publicis ad Christianum quem erudiebat populum hominibus ne utique versatus est negligenter, sed ea meditando industria, & sanctum ac salutarem cibum Auditoribus suis recte apponendi ac distribuendi studio prudentiaque usus assidue, quemadmodum decet bonum dispensatorem sacrorum mysteriorum DEI. Itaque nec labori pepercit nec vigiliis, & ne quid ex usu futurum omitteret, aut ex consilio DEI coetum suum celaret, præter solennes Epistoliarum & Evangeliorum pericopas, multiplici via ac

ratione per tot annos in usus auditorum explicatas, elaboratis peculiari cura sermonibus interpretatus est illustravitq; Epistolas S. Petri Apostoli, quarum prioris capiti tertio B. Parens Ipsius immortalis fuerat, nec non pulcherrimam ad Hebræos Epistolam, in quâ CHRISTUM sacerdotem æternum æternæ redemptionis repertorem Levitici sacerdotii choragio adumbratum nobis divino ore exponit S. Paulus. Similiter Epistolam S. Judæ, atq; communem supplicantis Ecclesiæ vocem ac solennem formulam, Litaniam. Augustanam Confessionem quoq;, cujus explanatione cum modulationis cygneæ vice canere receptui & obsignare labores sacros suos, hocq; documentum doctrinæ suæ auditoribus suis relinquere constituisset, DEO vitam benigniter ulterius prorogante, JESUM unice anhelans & dissolvi ac cum ipso versari cupiens, Concionem optimi Salvatoris in monte habitam exponendam sibi publicis sermonibus sumit, & in hoc labore fractus deniq; viribus atq; exhaustus defecit.

Superest ut quam felix Maritus, quam benedicta conditione Paterfamilias fuerit Beatus Pater Tuus, adeoq; triplicis benedictionis vim, quam D. Tellerus primum Lipsiæ, & Doblinii, Pater maxime, deinde collega Uhlenius, omnes beatæ morti vicini, Eidem impertiverunt, largissime sentent; paucis exponam. Extiterè omni ævo quos semoti tardaneceffitas lethi longivivaces & annosos esse permisit; sed fuere omni ævo rari illi, & exempla admodum pauca macrobiorum, quæ pro illa breviate vitæ hominum multitudine innumerabili vel Lucianus quondam aliquis aut Phlegon,

gon, vel recentiori ætate Ianutius Manettus, Florentinus, Emanuelis ille Chrysoloræ discipulus, in opere hexabiblo de illustribus longævis celebrare potuerunt. His si addas quos Matthias Berneggerus, (*) Georgius Hackevillus, Secundus Lancellotus aliiq; commemoravere, atq; speciatim ex literatis, quos refert Reinhardus Henricus Rollius in diatribe de eruditis climacterico magno sive anno octogesimo primo ætatis denatis, vel sacri Ordinis Viros, quorum præter eundem Rollium Matthæus Hansius in schediasmate de Theologis Macrobiis ex Lusatia, atqve alii de hoc argumento Scriptores, perpauca utiq; reperies. Pauciores etiam quibus illa contigit felicitas, ut tantam ætatem cum una eademque exigere dilecta conjuge, & Iubilæum gamicum quinquagesimo conjugii anno celebrare auspiciato potuerint, cujus exempla nonnulla pridem ab aliis commemorata, (**) utiq; macrobiis ipsis longe rariora deprehenduntur. Paucissimos deniq; qui ad illam ætatem rebus lætis tanta animorum concordia & numerosæ proles ac vivacis susceptæ prosperitate pervenerint, ut longa dies nihil attulerit ob quod tamdiu vixisse eos & una vixisse poeniteret. Quæ omnia Beato Parenti Tuo cum Divina benignitas sit largita, vicem ejus conditione multorum millenorum maritorum patrumq; familias feliciorẽ prædicandam jure merito, negare nemo poterit.

Connubio Eum junxit stabili DEUS Ao. MDCLXII. Idibus Sept. cum Virgine Nobilissima *Sabina, Petri Hoferi,*

B 3 præ-
 (*) Bernegger. Miscell. p. 8. seq. Hackewill. of providence p. 175.
 seq. Lancellot. l' hoggidi T. 1. p. 406. seq.

(**) Aufgefangene Witwe III. p. 919. seq. Nubesteller Agent. T. 2.
 p. 679. seq.

præfæcti Electoralis Xenodochei, Consulifq; Doblinenfis filia. Hanc decuplicis prolis Matrem habuit tori sociam per annos quatuor & quinquaginta, nec fatis diu cum Ea vixiffe ſibi eſt viſus, quum morte Illius afflicta Anno MDCCXVI. XVI. Cal. Decembr. exequias Ei parare unde octoginta annorum ſenex cogeretur. Jubilæi gamici læta cum ea recoluerat ſolennia Anno MCCXII, cum jam ante biennium Ao. MDCCX. Jubilæum Sacerdotale, exactorum in ſacro munere quinquaginta annorum, grata in DEUM mente obierat, cui publice duplici memorabili ſcripto edito applaudit ac gratulatus eſt Venerandus Lubecenſium Eccleſiarum Præful doctrina & meritis celebratiſſimus D. Georgius Henricus Goezius, (*) cum quo longa & conſtans Beato Viro interceſſit amicitia.

Ex decem liberis tres fuere filii, ſeptem filiæ. Inter filios medius natus *Emanuel* ex incunabulis poſt ſemestre ſpatium, à quo lucem adſpexerat, DEO redditus parentes cura ac ſollicitudine longioris educationis ſublevavit. Ex filiabus itidem media naſcendi ordine *Rofina* pulcherrimo in flore ætatis, anno decimo ſeptimo erepta rebus humanis, & natu minima *Anna Catharina* ſtatim poſt ſacrum baptiſmatis lavacrum ſuſceptum in coelos evolarunt. Cæteros cæterasq; omnes matura ætate & fortunis laribusq; bene conſtitutis florentes vidit magno ſuo cum gaudio, rara conditionis

(*) Sendschreiben an einen wohlverdienten ein und funffzigjährigen Döbelſchen Prediger/ in welchem von unterſchiedenen funffzigjährigen und andern Lehrern gehandelt und deren Fata erzehlet werden. Lübeck 1712. 8. Die denckwürdige Prediger-Frau/ bey der am 13. Sept. A. 1712. in Döbeln angeſtellten Lehmanns und Höſerſchen Jubel-Freude, ibid. 8.

ditionis humanæ felicitate. Te, VIR NOBILISSIME, primam progeniem suam, amplissima ornatum dignitate, & rerum usu ac cognitione valentem, scriptisq; pluribus editis clarum, quibus & Historiæ juriq; publico & numariæ ac literariæ notitiæ lux haud mediocris accenditur. Fratremq; Tuum Rev. Virum *M. Constantinum*, filium tertio genitum, jam emerito sibi in sacro munere succenturiatum, ex quo nepotem Ambrosium, neptesq; tres, Sophiam Concordiam, ante trimestre eheu extinctam, Johannamqve Christinam & Carlottam Elisabetham ex osculari Ipsi licuit, proles susceptas ex conjugè Joanna Sophia, filia Nobilissimi Viri B. Jo. Christiani Zimmermanni, hereditarii Domini in Kiebitz & Neudorff, præfectiq; Electoralis Xenodochei ad S. Georgii fanum, & communium ex rebus quotidianis vectigalium coinspectoris, Consulisq; Doblinensis. Filias præterea, *Sabinam Christinam* maritam Georgio Richtero, celebri organorum Musicorum fabro, & sex liberorum matrem, è quibus tres spiritu posito modum naturæ expleverunt, tres Jo. Georgius, patris in arte æmulus, Jo. Christophorus & Maria Sophia adhuc feliciter superant, *Mariam Dorotheam* superstitem beato marito suo cui nupta fuerat Rudolpho Herfarto, Prætori Ossitiensi sive Oschatzino, ex quo duos filios totidemq; filias cum peperisset, sola Dorothea Christina excepta, omnes in cœlum ad Patrem conjugemq; reditura præmisit. *Annam Sophiam*, Nobilissimi Viri Jo. Emanuelis Riedelii J. C. & Syndici Doblinensis Conjugem, quæ A. MDCCVII. X. Cal. Dec. extincta quadruplicis sobolis mater duos tantum superstites reliquit, filium Emanuelem Constantium in Lyceo Portensi literis operantem, & *Annam Sophiam*


phiam filiam. *Joannam Barbaram*, matrimonio junctam cum Jo. Adolpho Pietfchio honestissimo viro & mercatore in eadem civitate Doblīnensi. *Mariam Elisabetham* denique in conjugium datam Rev. Viro M. Christiano Kuntzenio, Pastori Ecclesiæ Sorznigenfis, sed paucis ante Parentem hebdomadis VII. Cal. Maj. hujus ipsius anni MDCCLXVIII. cœlitibus adscriptam, procreatricemq; sex liberorum, è quibus etiannūm vitali fruuntur aura, ac diu feliciter, precor, fruantur, Christina Elisabetha, Josephus Timotheus, Christianus & Constantinus Ambrosius.

Finem laborum optimi Senis attulit, animūq; anhelantem cœlestia, effocti vinculis corporis relaxavit dies vigesimus Junii, quo ipso ad plenum Illi à DEO fides facta est promissi pio ac fideli suo servo ab omni tempore dati: *longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam ut fruatur salute mea.* (*) Vixit annos LXXIX, menses X, dies XXV. adeoq; à termino, quem longissimum vitæ humanæ pronunciat divinus scriptor Moyfes, quam proxime abfuit, jam deinceps cum CHRISTO æternum victurus.

Hæc igitur, VIR NOBILISSIME, cogitans Beatissimum Parentem Tuum illa conditione, anno ætatis octogesimo, mortali forte exsolutum, non lacrymis jam amplius prosequendum & quiritationibus, sed inter futura conjunctionis spem ac desideria, laudibus ac gratulatione decorandum, perenni; memoriæ commendandum merito judicabis.


Hamburg. Idib. Sept. A. C. cto 10 ccxviii.

(*) Pfal. XCI. 6.



Blank label on the top right corner of the book cover.

Small label on the spine of the book.



merlich viel arme Menschen schwimmen
Stroh hülflos / und andre thäten klimmen
der Bäum. Man hörte kläglich schreyen :
ser Gott / uns hierauff noch befreyen !
Hülffe dann / kein Rettung mehr fürhanden ?
es dann doch von diesen Todes Banden ?
und helfft in dieser Noht uns Armen!
elffen nicht ? So mag sich Gott erbarmen!
helffen kan / und Wunder-Hülff läßt sehen/
Nachbarschaft zu Lüzburg ist geschehen /
utter-Brust ein Kind kam angetrieben/
Kind noch lebt / die Mutter tod geblieben.
Sunder viel bald hie bald dort ergangen /
ischen Wit / Verstand und Sinn gefangen. (13)
Feuers-Fluth die Männer sind erhalten / (14)
Bassers-Fluth hingegen nichts erkalten.
mächtige also erhalten wollen/
sicher seyn / auch mitten in den Wellen.
ausenden die haben müssen sterben/
ch und Weh ganz ohne Hülff verderben.
en Hülff war aus / es wolte nicht gelingen/
man auch wünscht' in Nöthen beyzuspringen.
Jammer-Bild für Augen angesehen/
ber kaum für Furcht und Angst bestehen.
lopffte sehr / es schauderten die Glieder /
eten / der Muth lag ganz darnieder!

A 3

Ach

gleichen Wunder viele zusamen gesamlet zu finden in des
M. Georg. Johann. Hencken Historischen Bericht von
erwürdigem Exempeln der Göttlichen Providence und
Führung / in wunderbahrer Errettung der Menschen bey der
Feuer-Fluth in der Christi-Nacht Anno 1717. so zu Halle
iner dreyfachen Continuation gedrucket. in 12^{mo}.
v. 26.